



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniae Agrippinae, 1707**

Dubium V. Quot modis tollatur obligatio voti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42515**

novum Jus Ecclesiæ, quod Professione non extinguitur : Quòd si Cajus mortuus fuisset ante professionem, Monasteriũ etiam teneretur, quia non esset hæres per professionem, sed per mortem Caji, mors autem non extinguit Vota realia. Plura videri possunt apud *Castrop. T. 15. D. 1. P. 15. & 16.*

Q. 119. *Quo ordine veniant solvenda debita, vota, 479*  
*legata. R. §. 1.* Debita Justitiæ prius solvenda sunt, quàm Vota realia, tum quia Deus non acceptat Vota cum præjudicio Juris à tertio quæsitæ ; tum quia Vota solvenda sunt ex bonis defuncti, res autem alienum est potius alterius, quàm defuncti ; tum denique quia debita Justitiæ extrahuntur ex toto cumulo hæreditatis, non autem vota.

§. 2. Vota solvenda sunt ante legata, quia Vota obligant defunctum, non autem legata, ergo censendum est, quòd sit major obligatio illorum quàm horum.

## D U B I U M V.

*Quot modis tollatur obligatio Voti.*

**R**esp. Dupliciter tolli potest, 1. Nullius auctoritate interveniente : idque vel materiæ commutatione ; ut si materia antè honesta fiat turpis, indifferens, vel impeditiva majoris boni, ratione novæ circumstantiæ vel prohibitionis ; vel si fiat impossibilis, absolutè aut moraliter ; vel desitione conditionis, à qua pendeat. 2. Interventu auctoritatis humanæ : idque tripliciter : irritatione, commutatione, vel dispensatione : de quibus sequentibus Dubiis. Est communis. *Sanch. L. 4. c. 24. Lesf. Lib. 2. Cap. 40. Dub. 11. Suar. Fill. T. 26. c. 8. Unde resolves,*

T 3

I. Et si

- I. Et si tuâ culpâ materia facta sit impossibilis  
 inutilis, &c. tamen postquam jam talis facta est  
 cessat obligatio, & sufficit pœnitere de culpa.
- II. Si concurrat obligatio duorum Votorum  
 impossibilem, implendum est id, quod est  
 præstantius, & Deo gratius; alterum cessat.  
 Quod si verò sit æquale, aut nescias, utrum sit  
 melius, implendum est, quod prius vovisti, &  
 ruit posterius: Si & hoc nescis, libera est electio.  
*Vide Trull. L. 2. c. 2. D. 9.*
- III. Si materia Voti fiat impossibilis quoad  
 partem tantum, tunc si commodè talis materia  
 dividi non potest, aut non solet, ad nihil teneris.  
 v. g. vovisti ædificare templum, si totum  
 non potes, non teneris ad partem:
- IV. Si verò dividi commodè potest, & solet,  
 manet obligatio ad illam partem, quam potes.  
 v. g. I. Qui non potest jejunare totâ hebdomadâ  
 potest autem aliquot diebus, ad hoc tenetur.  
 Qui Matrimonium contraxit, & consummavit  
 post Votum Castitatis, tenetur non petere debita  
 cum eatenus Votum adhuc sit possibile.  
 (reddere enim debet.) *v. Bonac. D. 4. q. 2. P. 7. §. 1.*
- V. Quod si Votum dividi quidem possit, sed  
 unum in eo sit principale, reliqua verò accessoria  
 tantum, non per se seorsim intenta, sed dependen-  
 ter à priori, tanquam illius appendices &  
 modi, tunc si principale fiat impossibile, ruit  
 etiam obligatio accessorii, non autem contra:  
 v. g. vovisti peregrinationem Romam in cilicio,  
 & ibi certi aliquid offerre; si peregrinatio  
 impossibilis fiat, non teneris cilicium ferre, &  
 oblationem mittere, *v. Sanch. c. 10. Bonac. P. 4. §. 4.*  
*Trull. c. 1. D. 10. num. 5.*

ADDENDA

## A D D E N D A.

Q. 120. *An Votum Castitatis aut Religionis obliget, 481*  
*si ille, qui vovit, sit ita proclivis in luxuriam, ut ipsi*  
*salubrius videatur inire Matrimonium. R. Non obli-*  
*gare putant Ledesm. Bonac. & alii apud Moyam T. 2.*  
 D. 1. Q. 1, qui num. 20. vocat sententiam illam  
 valde probabilem; idque tenent plures,  
 etiamsi illa fragilitas supervenisset post emissum  
 Votum; rationem dant, quia Votum debet esse,  
 & jam non esset de bono meliori. Non audeo  
 sententiam illam dicere absolutè probabilem,  
 hinc tenenda est opposita cum *Sanch. Castrop. Moya*  
 & *aliis*, quia absolutè majus bonum est Status  
 Castitatis & Religionis, potèstque, qui vovit,  
 aliis mediis reprimere luxuriam, & Voto suo  
 se implicitè obligavit ad illa alia media adhibenda,  
 ergo tenetur Voto usque dum allegatâ hac causâ  
 dispenseretur. *Confirmatur*: quia aliàs, qui etiam  
 per culpam contraxisset proclivitatem ad luxu-  
 riam, hoc ipso liberaretur à voto, quod nemo dicet,  
 quia daret multis illicitum luxuriandi, ut tandem  
 votum excuterent.

## D U B I U M VI.

*De Voti Irritatione.*

## A R T I C U L U S I.

*An & quomodo tollatur obligatio Voti*  
*per directam irritationem.*

**R**esp. Cùm non debeat violari cujusquam <sup>cc 482</sup>  
 dominium, ac quilibet Dominus possit uti <sup>cc</sup>  
 suâ libertate; hinc si potestati domi- <sup>cc</sup>  
 nativæ alterius sit subjecta alicujus voluntas, <sup>cc</sup>